



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XXXVI. Idem Archiepiscopo & Magistro R. (a) Turonensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPVT XXXV.

Gregorius IX. (a) *Argentinen. Episcopo.*

Super inordinata ordinatione. *Et infra:* Cùm autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt, & volunt in ipsis; consult. r. respondemus, quod pueri, & beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.

NOTÆ.

(a) *Argentinen*] Argentinenſis civitas eſt in Germania, habetque nobilem Eccleſiam Cathedralẽ, cujus mentio fit infra in cap. *Venerabili*: à principio fuit Canonicorum Regularium, ut referunt Pennotus lib. 2. *hiſtor. Canon. Regular. cap. 39. num. 1.* Chopinus lib. 1. mo-

naſt. tit. 3. ejus Episcopo Antoldo miſſa eſt præſens deciſio, qui fuit Dux Trecentis; & licet pacis amantiſſimus, Henrico tamen Friderici II. filio Eccleſiam vaſtanti occurrentes, eum proſtigavit: vixit ad annum uſque 1263. Commentarium hujus textus dedi in cap. eam *te de atate & qualitate.*

CAPVT XXXVI.

Idem Archiepiscopo & Magistro R. (a) *Turonensi.*

Causam, quæ inter Aurelianen. (b) Episcopum, & I. de Bleſis Canonicum Sanctæ Crucis super integratione præbendæ ipsius Canonici vertebatur, vobis duximus committendam. *Et infra:* Conſultationi tuæ taliter respondemus, quod noſtra intentionis non extitit, ut pro integratione præbendæ ſupradicti Canonici præbendæ de novo aliqua (c) ſcinderetur.

NOTÆ.

Chenu in ſerie Archiep. Turon. num. 71.

(b) *Aurelianen.*] Beatum videlicet Philippum I. ut refert Chenu in ſerie Episcop. Aurelianen. num. 71.

(c) *ſcinderetur.*] Juxta adducta in cap. *majoribus* 8. hoc. tit.

(a) *Turon.*] Ivello videlicet de Matefelon, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Rhementis, & anno 1244. poſt Concilium Lugdunenſe profectus fuit ad bellum ſacrum, ut refert

CAPVT XXXVII.

a Idem.

Venerabilis frater noſter (b) Portuen. Episcopus ſupplicavit, ut cùm quandã præbendam, quæ Argentinen. Eccleſia tamdiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad Sedem Apoſtolicam (c) devoluta, I. clerico (d) contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, ſuam collationem benigno proſequeremur affectu. Verum procurator Argentini Capituli propoſuit ex adverſo, quod idem Capitulum hoc audito, (e) conſuetudinem allegans antiquam, inviolabiliter obſervatam, juxta quam niſi nobilem, & (f) liberum, & ab utroque parente (g) illuſtrem, honeſtæ conſultationis, ac eminentis ſcientiæ in ſuum conſortium hæcenus admiferat, ne contra hoc fieret (maximè cùm nulla tunc præbenda vacaret ante quam monitorias, vel executorias litteras recepiſſet) ad Sedem Apoſtolicam appellavit. *Et infra:* Nos igitur attendentes, quod non generis, ſed virtutum nobilitas; vitæque honeſtas gratum Deo faciunt, & idoneum ſervitorem, ad cujus regimen non multos ſecundùm carnem nobiles, & potentes elegit, ſed ignobiles, ac pauperes, eo quod non eſt perſonarum acceptio apud ipſum, & vix ad (h) culmina dignitatum (nedum ad præbendas viri eminentis ſcientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admit-tendas. *Et infra:* Diſcretionis veſtræ mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit prædictam præbendam vacaſſe, quando ipſam dicto I. (i) Episcopus contulit memoratus ipſum ad eam recipi faciatis.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

Q

NOTÆ